

ro 81. in 8vo asservat. Appellatur ille cognomine *Sinukel* in principio Commentarii in Josuam, licet in Bibliis Buxtorffii Libro Judicum, in quo excerpta quædam ex eodem adducuntur, tantum R. Jelchajæ nomine appelletur. Verba ejus ad h. l. sunt : בתוך הירדן הכן : שם המקור הוא : ופתרונו להכן רגליהם שם עד שעברו העם : Ad verba in Jordane הכן *ad firmandum* hæc addit: *Est infinitivus sensusque est, ad firmandum pedes suos ibi, donec transisset populus.* Non diffitemur הכן *quam optime*, si sensum spectes, explicari per להכן *ad firmandum*, malum tamen cum Masio *transitum* ex contextu addere, quam cum R. Jelchaja *pedes*. Nec desunt plura ejusmodi exempla in quibus ל deficit, licet paucis observata v. g. Ps. 127, 2. משכימי קום *matutinantes ad surgendum* pro לקום, literæ enim ככרם quandoque omittuntur. Chaldæus, qui vertit מתקניא *preparantes, firmantes*, a nostra explicatione non recedit, infinitivum enim per participium exprimit, quod *Glassius* quoque observavit L. III. Tract. III. p. 874. Non vero approbamus *Kimchium*, neque versionem in Bibliis Londinensibus expressam, quod Chaldaicam vocem passive מוכנים & מתקנים *firmatos & preparatos* verterint. Licet enim vox Chaldæa active & passive sonet, Hebræum tamen הכין *activam* significationem requirit. LXX. hanc vocem plane prætermiserunt, alii ἐτοιμῶς addiderunt, quod *Græbius* cum asterisco legit, & *Masius* in suo codice legisse testatur. A. & Sym. ἐτοιμοι legerunt, *Vulgatus accincti*, sed omnes minus convenienter, vox enim natura sua active significans, non vertenda est passive. Sensus ergo manet, quem supra adstruximus: Sacerdotes portantes arcam foederis stetisse ad firmandum scil. transitum, omnesque & singulos Israelitas transisse in sicco. Nec male ferendum est, quod vocem omissam, & ad sensum complendum necessariam adjecerimus, eam enim ex sequenti עברים desumimus, quod in explicatione codicis Hebræi frequenter est faciendum, conf. *Glass.* Lib. IV. Tr. II. p. 12. 13. Nulli itaque dubitamus, DEUM voluisse, ut Israelitæ credant, transitum per arcæ foederis præsentiam factum esse, quia non solum legimus, Sacerdotes cum arca foederis præcedentes præparasse transitum Israelitis, sed supra etiam vers. 13. quies pedum Sacerdotum arcam portantium cum regressu aquarum superiorum conjungitur: *Et erit, quando quiescent volæ pedum Sacerdotum*

B

arcam